

cidos cælestium orbium circulos, præsertim autem Medii, id est *Solaris*, sedem inuenerit: Tenebris contra ad imas Macrocosmi partes, obque id crassas ac densiores, velut ad conueniens caligini receptaculum, præcipitatis atque constipatis. Eadem *Natura Parens* hanc artem graphice commonstrauit in dispositione & collocatione quinque illorum corporum, è quibus cæteræ res omnes constant, quæ Virgilius $\phi\iota\lambda\omicron\sigma\sigma\phi\omicron\pi\omicron\iota\eta\tau\eta\varsigma$ eleganter appellat

-- *Semina terrarumque, animæque, marisque
Et liquidi simul ignis: ut hinc exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreuerit orbis.*

Cum enim *Cælum* omnium corporum simplicium sit purissimum, minimeque corruptioni obnoxium, ideoque præstet omnibus, supremum locum meritò sibi vendicat. Hoc sequuntur ordine quatuor illa *Elementa* dicta singula pro ratione puritatis suæ ab alteris *Separata*. Nam cum *Elementum Ignis* luci cælesti familiarissimum existat, tanquam fratri suo contiguitate quadam alligatur, proximamque ab Lunæ Sphæra sedem sibi asserit. Succedit *Aer* immediate subtilior, infra tamen ignis puritatem & nitorem positus: quem ideo tertio loco contentum esse fas fuit. *Aqua*, cum aeri sit contigua,

gua,